



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117921**

§. 25. Arnulphus Imperator. Formosi obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

## §. XXV.

Sæculum IX.  
A. C. 896.*Arnulphus Imperator. Formosi obitus.**Stephanus Papa.*

Haud diu post celebratos Conventus Triburiensem & Wormatiensem Arnulphus Rex iter in Italiam suscepit, quo eum Berengarius, Guidone viribus inferior, & Formosus Papa vocabant. Guidonem fuga abstulit, & Arnulphus Romanam diu obsessam assultu in potestatem (\*) redegit, anno octingentesimo nonagesimo sexto.

*Regino. 895.**896.**Luitpr. L. I.**c. 8.*

Ergo Formosus Regem perhonorifice exceptum coram Confessione S. Petri Imperatorem (\*\*) coronavit; Arnulphus vero, ut injurias Papæ illatas ulcisceretur, complures ex Optimatum Romanorum

E 4

norum

(\*) Ajunt, milites Arnulphi lepuscum e dumetis fors exitum & Urbem versus diffugientem persecutos fuisse ingenti clamore, quo perterriti præsidarii stationes prodidissent.

(\*\*) Quid ergo de eo sentiendum, quod idem Pontifex Guidonem & Lambertum anno octingentesimo nonagesimo secundo Imperatores coronaverit? Nempe tunc amicos habebat, quos nunc hostes experiebatur. Sed cum illa tempestate Italia, & maxime Roma, diris motibus concuteretur, nec omnia Scriptores accurate literis mandaverint, de omnibus ratio reddi non potest.

Sæculum IX. A C. 896. norum præcipuis, qui, cum in Urbem invehetur, obsequii causa obvios se se intulerant, capite plecti iussit. Tum Populus Romanus fidem Arnulpho Imperatori juravit, salvo fidelitatis (\*) vinculo, quo Formoso Papæ obstringebantur; tandemque Imperator, postquam Guidonem & uxorem (\*\*\*) ipsius fuisset persecutus, mense Majo in Bavariam reversus est.

*Ann. Fuld.*

Bonifacius  
Antipapa.

Inter hæc, Formoso Papæ in die Paschæ, decima quarta Aprilis eodem anno octingentesimo nonagesimo sexto, postquam S. Petri Sedem annis quatuor & dimidio tenuisset, fatis functo, successus est Bonifacius, Romanus, Hadriani filius, olim ab ordine Subdiaconatus & deinde ab ordine Presbyteratus depositus.

(\*) Rem haud ita facilem promittebant Romani; cum Christus Dominus dicat in Evangelio: *Non potestis duobus Dominis servire.* Matth. XXIV.

(\*\*) Fleurius quidem hæc silentio præterit, sed in aliis Scriptoribus legimus, Lamberti matrem, quam unacum filio Arnulphus in Arce Camerinenfi obsidebat, pocillatorem Imperatoris data pecunia sollicitatum ad tetrum facinus impulsisse, ut Domino suo venenatam potionem porrigeret. Exinde Arnulphus non tam vivere, quam languere visus est, Regum Germaniæ primus, qui in Italia perniciem sibi invenit.

tus. Populari factione electus, post quindecim dies podagræ doloribus consumptus expiravit. Successit Stephanus VII. Romanus, cujusdam Presbyteri, cui nomen Joannes, filius, seditque mensibus quindecim.

Sæculum IX.

A. C. 896.

Flod. d. vers.

to. 4. Act. Ba.

p. 605.

## §. XXVI.

*Fulconis Epistolæ ad Papam & Regem.*

Fulco Archiepiscopus Remensis datus ad Stephanum VII. sicut antea ad Antecessores ejus, literis, professus est, quam addictus esset Sacræ Sedi, & quam vehementi desiderio teneretur ad limina Apostolorum proficiscendi, nisi variis obstaculis impediretur. Illud quoque perscripsit, quod Odonem & Carolum Reges reconciliaffet. At Papa in Responsoriiis Fulconem increpabat, quod Romam non veniret, cum tamen complures alii hoc iter susciperent. Tum subjungebat: *Statui Concilium mense Decembri, proxima Indictione decima quinta (nempe eodem anno octingentesimo nonagesimo sexto) celebrare, quo si non veneris, Censura Canonica te feriam.* Archiepiscopus respondit: *Nulla ratione fieri potuit, ut hoc tempore ipse Romam proficiscerer. Quare Episcopum, & Clericos ex mea Ecclesia ad*

Flod. IV.

c. 4.

E 5

te